115

EPISTOLA
DE
HERBA BORITH,
ex Ier. II, 22. & Mal. III, 2.

AD

VIRVM ILLVSTREM ATQVE MAGNIFICVM,

D. FRIDERICVM HOFMANNVM,

FRIDERICIANAE DECVS ET ORNAMENTVM,

CVM IS

D. XII. Iul. A. cIↄ Iↄcc xxviii.

PRORECTORALES ACADEMIAE FASCES QVARTVM SVSCEPISSET,

GRATVLABVNDO ANIMO SCRIPTA

A

CHRISTIANO BENEDICTO MICHAELIS,
P. P.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LIT. CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

ALiquamdiu iam eſt, VIR ILLVSTRIS ATQVE MAGNIFICE, cum V.C. *Olaui Rudbeck*, Ichtyologiæ Biblicæ partem alteram *de Borith follonum*, Vpſalis A. CIↃ IↃCC XXII. impreſſam, mecum beneuole communicares, & iudicium meum de noua illa vocis *Borith* explicatione, quam vir ille Celeberrimus dederat, exquireres. Et ego quidem tum, cum ſcriptum illud peruoluiſſem, profeſſus ſum Tibi, me, vtut Cl. Auctoris ingenium & eruditionem admirer, tamen, quo minus ſententiæ eius calculum meum in hac cauſſa adiiciam, certis rationibus, quarum aliquas Tibi coram expoſui, retineri. Cum vero, pro ſingulari Tua erga me humanitate, auctor & hortator tunc fueris, vt rationes illas meas, in ſcriptum relatas, publici iuris facerem; huic quidem conſilio Tuo nequidquam refragandum eſſe ratus, eius exſequendi vix opportunius vllum tempus reperi, quam hunc ipſum diem, quo regimen Academicum fauſtis auſpiciis, quod nulli Profeſſorum huius Fridericianæ ante Te contigit, quartum ſuſcipis. Sic enim & conſiliis Tuis obſequioſum me exhibere, & ſimul lætitiam teſtari meam, piaque vota pro felici adminiſtratione muneris Tui, quod hoc die ingreſſus es, fundere me poſſe arbitratus ſum. Quod meum officium, ſicuti ex candido non minus quam Tibi deuinctiſſimo animo proficiſcitur, ſic vt ne diſpliceat Tibi, id vero eſt, quod maiorem in modum exopto.

Vt igitur ad rem ipſam adgrediar, de qua dicere iam conſtitui, Cel. *Rudbeck*, quemadmodum antehac in prima Ich-

thyo-

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

58700 (15)

thyologiæ ſuæ parte aues vulgo creditas *Selauas* in piſcium numerum redegerat, ita nunc herbam doctiſſimorum virorum iudicio habitam, *Borith*, in teſtacei piſcis genus, hoc eſt, *purpuram* eiusque ſuccum, conuertit, ratus, fuiſſe ex eorum numero, quæ veteres corporibus pingendis, & faciei præſertim fucandæ adhibuerint, nominatim vero genus coloris rubri pretioſiſſimi. Qua de hypotheſi quid ſentiam, breuibus ita habe.

Omnino vox illa *Borith* in S. Codice Hebræo bis tantummodo occurrit, nempe Ier. II, 22. SI LAVERIS TE NITRO, ET MVLTIPLICAVERIS TIBI (בֹּרִית) BORITH, MACVLATA ES INIQVITATE TVA CORAM ME, DICIT DOMINVS DEVS; & Mal. III, 2. QVIS SVSTINEBIT DIEM ADVENTVS EIVS, (Domini Meſſiæ, ad Templum ſuum venturi) ET QVIS CONSISTET, CVM ADPARVERIT ILLE? QVONIAM ILLE ERIT SICVT IGNIS CONFLATORIS, ET QVASI (בֹּרִית) BORITH FVLLONVM, ſeu LAVANTIVM. Oſtendam igitur, quomodo veteres interpretes eam interpretati fuerint, quid etymologia, quid vſus & circumſtantiæ vtriusque textus circa eius explicationem ſuadeant.

Quod ad veteres S. Bibliorum interpretes, *Vulgatus* quidem *Latinus* priore loco *herbam Borith*, poſteriore vero *herbam fullonum* reddidit. Et, vt intelligatur, quid plantæ interpres ille in mente habuerit, *Hieronymus* in Commentario ſuo ad Ieremianum locum, HERBA FVLLONVM eſt, inquit, *quæ in Palæſtina in virentibus & humectis naſcitur locis, & ad lauandas ſordes eandem vim habet, quam & nitrum.* Et *Plinius* in Hiſt. nat. lib. XII. c. 3. *Quæ*, inquit, *vocatur* RADICVLA, *lauandis lanis ſuccum habet: mirum, quantum conferens candori mollitiæque. Naſcitur ſatiua vbique, ſed ſponte præcipue in Aſia Syriaque, ſaxoſis & aſperis locis, trans Euphratem tamen laudatiſſima.* Pariter *LXX. Interpretes* Græci apud Ieremiam ποίαν, vel quod eodem recidit, ſecundum alios libros πόαν, id eſt, *herbam*, apud Malachiam vero ποίαν πλυνόντων *herbam lauantium* reddiderunt. Ad quam vocem *Suidas* in Dictionario ſuo, πάσῃ βοτάνῃ οὕτω λέγεται· ἡ δὲ σμήχουσα κ. τ. λ. *Sic quæuis herba*

ba dicitur. *Abſtergens* vero, ſeu *mundans*, *apud Demoſthenem & Lyſiam* pariter πόα *dicitur.* Quæ vero ſubdit idem: ὡς ἐν πόᾳ πλυνάντων οὕτω Μαλαχίαν ἐδόξασε, ea quidem ad hunc ipſum Malachiæ locum reſpicere videntur, ſed tamen in mendo haud dubie cubant. Arabs item illic עאסול *ſmegma*, ſeu generatim *id quo ſordes eluuntur*, heic vero *herbam lauantium* expoſuit. Chaldæus *Ionathan* vtrobique Hebræam vocem, quanquam terminatione Chaldaica veſtitam, בוריתא *Boritha*, retinuit: forte quod ea apud Chaldæos non minus, quam apud Hebræos in vſu eſſet. *Syrus* vero, qui Chaldaicam paraphraſin alias paſſim ſequitur, cum heic tum illic כבריתא *ſulphur* expoſuit: quod tamen, ni fallor, mendum eſt ſcribarum Syrorum, qui cum vocem ſiue Hebraicam *Borith*, ſiue Chaldaicam בוריתא *Boritha*, forte non intelligerent, addita littera כ, & mutatis punctis vocalibus, ex ea כבריתא *ſulphur* fecerunt. Adparet igitur, nullum ex veteribus interpretibus (quorum conſenſui, ſi cetera ſint paria, non omnino nihil tribuendum eſt) illud *Borith* pro *pigmento*, nec pro teſtacei piſcis ſucco ſeu *purpura*, ſed vel generatim pro *lomento* ſeu *lauandi medio*, vel ſpeciatim pro *herba fullonum*, ſeu veſtibus lauandis apta, habuiſſe.

Quod ad etymologiam vocis porro attinet, deriuatur illa ab Hebraico Verbo *Barar*, vel ſi contractius efferatur, *Bar*, id eſt, *Purum eſſe*. Vnde ſi deriuationem ſolam ſpectares, primo quidem ſignificare poſſet *Puritatem* ipſam, deinde vero, per metonymiam effecti pro efficiente, *medium puritatis*, *quidquid puritatem efficit*, ſeu *quidquid purificandi ac eluendi vim habet.* Iam ſi quæratur, num etymologia hæc Rudbeckianæ, an vero receptæ Nominis *Borith* interpretationi, aut vtri aptius ſaltem & maiori cum facilitate quadret? ego quidem poſteriori palmam dare haud dubitauerim. Nam vtut haud abnuam, etiam de *pigmento*, imprimis quod viuidi, iucundi & pulchri adſpectus ſit, *puritatem* ſuo modo dici poſſe, quia lucidum eſt; tamen hoc æquus quisque æſtimator rerum mihi concedet, ſpero, *puritatem*, ſi ſordibus maculisque opponatur, magis proprie capi; ac adeo de *medio* conſequendæ puritatis multo pro-

pius

pius faciliusque, quam de coloris aliquo *pigmento* prædicari poſſe.

Interim voces non ſemper id omne, quod ſignificare poſſent, actu ſignificant: ſed vſu demum ad certam ſignificationis ſpeciem ſæpe determinantur, idque per conſuetam omnibus linguis Synecdochen. Igitur ſi poſt deriuationem vocis illius, de qua iam quæritur, *vſus* quoque Biblicus conſideretur, *Borith* non omne, ſed tantum aliquod efficiendæ *puritatis medium* denotabit, videlicet illud, quod eſt *in lauandis emundandisque veſtibus*, ſeu *lomentum*. Nam apud Malachiam diſtinguitur ab *igne conflatoris*, qui quidem & ipſe purgat, ſed non niſi metalla adulterata. Sed nec omne *veſtium lauandarum medium* hac voce ſignificari, inde colligo, quod apud Ieremiam a *nitro*, cuius vſus in eluendis veſtibus olim non minus fuit, tamen illa diſcernitur. Nihil igitur pronius erat, quam vt explicaretur illa ſecundum veteres, vel de *herba lauandis veſtibus* generatim, vel de vno aliquo eius genere ſpeciatim, ſiue id *radicula* fuerit, alias *ſaponaria* dicta, ſiue *ſtruthion*, quæ & *lanaria* audit, ſiue denique Arabibus *Vſchnen* dicta, Botanicis ſub nomine *Kali* notiſſima.

Quod autem vulgarem Nominis *Borith* interpretationem magis firmat. & Rudbeckianam e contrario ſubruit, vocatur illud apud Malachiam בֹּרִית מְכַבְּסִים *Borith lauantium*, hoc eſt, *fullonum*, ſeu *illorum qui veſtimenta purgant & candida faciunt*. Nam ſi *lauantium* ſeu *fullonum* eſt, ergo de *herba lauandis veſtibus* apte quidem exponitur, non vero de *purpura*: quoniam, ſi *purpura* intelligeretur, non igitur *lauantium*, ſed (צבעים) *tingentium* dici debuiſſet.

Quamuis autem hoc argumentum euidens ſit, tamen duo ſunt, quæ ad eneruandum illud, & ad ſtabiliendam contra recentem hypotheſin, a Cl. *Rudbeck* vrgeri video. Prius eſt, Verbum illud כבס, a quo מכבסים *lauantes* ſint dicti, non de *veſtium* ſolum, ſed etiam *corporis* membrorumque eius lotione adhiberi; alterum vero, idem illud Verbum non de *fullonibus* ſolum, ſed de *tinctoribus* quoque intelligi poſſe, quorum vtrumque ſi falſum eſſe demonſtrauero, tum vero vulgaris expoſitio palmam, vt ſpe-

ro, feret. Eſt vtique certum, Verbum illud כבס *lauare*, a quo *Borith lauantium* denominatum eſt, non genericum eſſe, ad *lotionem quamlibet*, ſed ſpecificum, ad ſolam *corporis partiumque eius lotionem* ſignificandam: cui notioni id ita proprium eſt, vt, ſicubi abſolute & ſine expreſſa veſtium mentione ponitur, *veſtium* tamen nomen ſubaudiendum ſit; aut ſicubi hominem corporisque humani partes pro Obiecto videtur habere, tamen non aliter id, quam per tropum a veſtium lotione deſumtum intelligi debeat. Et contra, vbicunque de lotione corporis membrorumque eius ſermo eſt, ibi aliud longe Verbum, idque pariter ſpecificum, nempe רחץ, adhibetur. Id quod adeo certum & exploratum eſt, vt ad exemplorum omnium, in S. Codice occurrentium, inductionem prouocare haud dubitem; &, cum in rituali inprimis lege Moſaica toties totiesque lotiones, modo *veſtium*, modo *carnis* ſeu *corporis*, Iſraelitis iniunctæ ſint, tamen vbique, ſeruato vocabulorum accurato diſcrimine, de illa non niſi כבס, de hac vero tantum רחץ, utrumque *lotionem* denotans, reperiatur.

Igitur quanquam Cl. Auctor ſcribat, Ven. *D. Io. Michaelem Langium*, qui edita triga diſſertationum Botanico-Theologicarum probare ſategit quaſi *Borith* non alia fuerit herba, quam *Kali* Botanicis dicta, *τῷ Borith non minus quam Nitro, hanc quidem virtutem tribuere, vt VESTES eo lotæ ac dealbatæ quondam fuerint, ſed in ſacro Codice vix vllum reperiri locum, ex quo certo id expiſcari liceat: vbi enim mentio fiat vocis Borith, ibi agi de CVTIS a maculis emundatione:* tamen hoc iudicium Cl. *Rudbecki* adeo falſum eſt, vt potius, in Sacro Codice nullus reperiatur locus, vbi *Borith* ſit medium *cutis* a maculis emundandæ. Ait porro: ipſos LXX. Interpretes, qui πόαν, vel πόαν πλυνόντων reddiderunt, *herbam tinctoriam* intellexiſſe videri, quia πλύνειν non de *fullonibus* ſolum, ſed de *tinctoribus* quoque dicatur. Sed πλύνειν, (quod *Scapula* ſub hoc Verbo adnotauit) proprie ſaltem de *veſtimentis* dicitur, ſicut λούω de *corpore*, νίπτω de *manibus ac pedibus*. Et ſi de Græco πλύνειν id, quod Cl. Rudbeck aſſerit, vel maxime concederetur, tamen de Hebræo כבס nunquam id demonſtrauerit.

Ait

Ait item, Ven. *Langium* ipſum agnoſcere, verba illa **Ier.II,** 22. de emundando ſolum corpore accipienda eſſe, vtpote quæ verterit: *Si laueris TE nitro*, cetera. Sed, ſi fontes inſpiciantur Hebræi, ſecundum illos verba iſthæc proprie ſic habent: *Si laueris nitro*, cetera. Quæ loquutio eſt elliptica, ac ſubauditur, *veſtes tuas*. Sed & Ven. *Langius* cum Hebræo textu facile conciliari poteſt; modo verba hæc, *ſi laueris te nitro*, cetera, intelligantur cum certa quadam determinatione, nempe *ratione veſtium tuarum:* quæ eſt metonymia Subiecti pro Adiuncto, alibi quoque apud Hebræos tritiſſima; vt cum בצר *ſuccidi*, de vite, *ſeminari* de *agro*, *habitare* de *vrbibus* dicitur, quorum tamen hoc de *incolis*, illud de *ſemine*, iſtud de *vuis* proprio ſignificatu capitur. Vnde ſiquis, veſte ſordibus forte commaculata, diceret, *Abſtergam me*, ich will mich abwiſchen, oder reinigen; id haud dubie intelligeretur per metonymiam de ſola veſte: nec inferre inde liceret, quaſi Verba illa, *abſtergere* & abwiſchen, in locutione & circumſtantia illa, de emundando corpore, multoque minus *de ſolo* corpore emundando, intelligi deberent. Iam, ſi id, de quo diſputatur, eſt *Borith lauantium*, & vero Verbum illud Hebraicum a quo *lauantes* ſeu *fullones* ſunt adpellati, non niſi de *veſtium*, nunquam vero de *corporis lotione*, multoque minus de *tinctura & coloris inductione* dicitur; ſequitur ergo, vt *Borith* non poſſit eſſe *purpura*.

Accedit, quod, cum in Codice Hebræo *purpuræ* mentio ex confeſſione omnium trigeſies ſepties facta ſit, ea vbique alio longe nomine adpelletur ארגמן *Argaman*. Quis credat autem, ſcriptores ſacros in difficilioribus & ambiguis locis, reiecto clariore & conſuetiore Nomine *Argaman*, ambiguo illo & minus frequentato *Borith* vti voluiſſe?

Sed & locum illum Mal. III. 2. quem Cel. *Rudbeck* putat voci *Borith* ſignificationem *purpuræ* vindicare quam maxime, minus recte intellexit. Nec enim id agit Propheta, vt maieſtatem venturi Meſſiæ quam ſplendidiſſime depictam ibi ſiſtat; (& tamen, ſi vel maxime id ageret, valde dubitandum eſt, Prophetam faciem Chriſti fucatam potius, hoc eſt, tingentium purpura inductam, quam natiuo colore pingere voluiſſe:) ſed potius

hoc

hoc ei propoſitum fuit, vt Meſſiam tanquam acrem cenſorem & criticum morum operumque populi Iſraelitici futurum deſcribat, qui, ſiue Iſraelitæ vt metallum impurum, ſiue vt veſtis ſordida conciperentur, id eis futurus eſſet, quod metallo impuro eſt *ignis conflatoris*, & quod ſordidatis veſtibus eſt *Borith fullonum.* Quibus obſervatis cadunt difficultates illæ, quas Cl. Auctor contra receptas vocis Borith interpretationes mouet.

Et hactenus quidem ſententiam meam dixi de Rudbeckiana illa vocis Borith interpretatione; ita tamen vt Cel. Auctoris meritis litterariis, quæ excellentis ingenii fœtibus dudum ſibi comparauit, nil quidquam detractum voluerim, & hanc ipſam quoque diſceptationem amicam, Tuo iudicio, VIR ILLVSTRIS ATQVE MAGNIFICE, lubenter ſubiiciam. Nunc vero venio ad faciendum officium illud, quod huius diei ſolennitas & mea ſimul erga Te obſeruantia depoſcunt Contigit enim Tibi hodie, quod nemini Anteceſſorum tuorum in Prorectoratu huius academiæ, vt quartum ſuſceperis munus regendæ Fridericianæ noſtræ, munus, in quo vicarium Potentiſſimi Regis geras. Gaudeo igitur impenſe, ac ſupremo Numini, in cujus arbitrio vita noſtra eſt poſita, demiſſas gratias ago, quod Te, licet ſenem, viuum vegetumque nobis conſeruauerit: idemque ſupplicibus precibus inuoco, velit Te animo & corpore ita corroborare, vt Prorectoratum tuum hunc quartum non ſolum, ſed (ſi bonitati ac ſapientiæ diuinæ viſum fuerit) quintum quoque futurum, cum laude, & ad Academiæ noſtræ ſalutem & incrementum geras. Faxit Deus, & regimen hoc Tuum ex omnium votis ſit auſpicatum ac ſalutare. Vale. Halæ d. XII. Iul.

CIↃ IↃCC XXVIII.